

vel negativa. De primo agemus in libris de cælo, et pro nunc suppono tanquam probabilius, quod materia cælestis, et sublunaris specie differunt, illa quod materia cæli non est in potentia ad formas istas inferiores nec e converso, quod tenet D. Thomas prima parte, questione sexagesima sexta, articulo secundo et opusculo decimo quinto, cap. vii, et opusculo quadragesimo quarto et decimo quinto. Et hoc ideo, probabilius est cælum, ex intrinseca sua natura esse incorruptibile, et non ex aliquo extrinseco supernaturali, ut corpora gloriosa; si autem materia ipsius esset ejusdem speciei cum nostra, necessario esset in potentia ad formas istas inferiores, et quando est sub forma cæli, esset privata istis inferioribus, et sub forma unius cæli privata forma alterius cæli; hæc autem est dispositio corporis corruptibilis; ex hoc enim quod materia est privata forma substantiali, quam potest habere, de se tendit ad illam, nec est connaturaliter, si impediatur perpetuo habere illam: ergo compositum constans ex materia capaci aliarum formarum, habet in se principium corruptionis, scilicet materiam privata forma. Nec per formam quantumcumque perfectam tollitur ista privatio, quia nec tollitur capacitas materiae ad formam privatam, neque forma ipsa, qua privata est, habetur; manet ergo illius. Et dato quod forma cælestis propter suam eminentiam supra formas corruptibiles satiaret totam potentiam materiae, adhuc non tollebat principium corruptionis, quia non tollebat potentiam ad formas aliorum cælorum, quæ distinguuntur specie, nec una eminenter continet aliam, sicut istas inferiores, et consequenter posset transmutari unum cælum in aliud. Ut ergo cælum sit ab extrinseco, et connaturaliter incorrupti-

bile, exigit materiam incapacem aliarum formarum.

Circa secundum, an illa unitas, vel diversitas specifica sit positiva, vel negativa, qui sentiunt materiam primam de se includere aliquem actum saltem entitativum, consequenter unitatem, et diversitatem positivam ponunt in materia. Cæterum D. Thomas qui omnem actum negat materiae antecedenter ad omnem formam, solum ponit materiam esse unam negative, id est, per hoc quod caret omni actu distinguente, ut constat ex opusculo xxxi, §. primo, post medium, et prima parte, questione decima sexta, articulo septimo ad 2. Distinctio autem seu diversitas convenit materiae ex ipso ordine ad diversam formam, seu actum; nec enim alio modo ponitur aliquis actus in materia, nisi in potentia, et secundum ordinem ad talem actum, non quod ipsa actu sit divisa, vel una, aut habens in se actum, ut proximis articulis ostensum est; unde dixit D. Thomas opusculo xlv, circa finem: Infirmari rationem, qua ostendit Philosophus in v Phys. « Generationem non esse motum, quia non est in subjecto in actu, si materia sit ens in actu saltem incomplete. »

Sed inquires: Si materia ex se non habet speciem aliquam determinatam, sed reducitur ad speciem illius formæ a qua informatur, quomodo potest una, et eadem entitas tot species mutare quot formas, ut modo reducatur ad unam, modo ad aliam? Respondetur, materiam semper habere eandem speciem intrinsecam, scilicet esse potentiam susceptivam hujus vel illius formæ, quæ est talis vel talis speciei; et ita in quocumque composito inveniatur, reducitur ad ejus speciem, sicut pars potentialis illius, et constituens eam ex parte potentie. Rationem vero illius

speciei in actu solum participat denominative denominatione formæ informantis, non participatione intrinseca; sic enim mutaretur materia entitative, et non solum informative, et sic etiam mediante tali informatione participat determinatam existentiam formæ, seu potius existentiam illam, quæ per formam convenit composito, sicut et participat actionem formalem ex unione ad formam, et sic D. Thomas vii Metaphys. lect. ii, explicans dictum Philosophi, quod materia neque est quid, id est, substantia, neque quale, neque quantum inquit: « Quod non est intelligendum, quod substantia actu existens prædicetur de materia prædicatione univoca, sine qua est per essentiam; » tam enim supra dixerat: « Quod materia non est quid, neque aliquid aliorum, sed intelligendum est de prædicatione denominativa, per quem modum accidentia de substantia prædicantur: sicut enim hæc est vera: Homo est albus, non autem hæc: Homo est albedo, vel humanitas est albedo, ita hæc est vera: Hoc materiatum est homo, non autem hæc: Materia est homo, vel materia est humanitas. » Ita D. Thomas.

Quare tota unitas, vel diversitas materiae convenit ei secundum ordinem ad formam, cujus est potentia susceptiva, qui ordo non est aliquid actu superveniens materiae, eique conveniens præter ipsam potentiam materiae, et ita convenit illi sicut potentia ipsa, quod est ex se solum habere speciem potentialem. Quod si diverso modo materiae respiciant formas, quia una respicit modo amissibili et corruptibili, alia incorruptibili, quia solum unius formæ est capax, distinguuntur specie illa materiae, sicut cælestis, et sublunaris ratione diversi ordinis ad formas, non ratione diversæ actua-

latis quam habeant. Et sic etiam verificatur in istis materiis, quod actus est qui distinguit, scilicet terminative, et extrinsece propter diversos ordines ad diversos actus. Remota autem omni forma, remanet solum in materia unitas negativa per hoc, quod caret omni forma distinguente.

#### QUESTIO IV.

DE FORMA QUÆ EST PRINCIPIUM ENTIS NATURALIS.

##### ARTICULUS PRIMUS.

*Quid sit forma, et quomodo continetur in potentia materiae, et educatur ex illa?*

Forma in tota sua latitudine, prout comprehendit essentialiter, et accidentalem, extrinsecam, et extrinsecam definiri solet, quod est *actus dans esse rei*. In quinto autem Metaphys. text. ii, definitur causa formalis, *quod est species, et exemplar*, ubi definitur forma intrinseca, et extrinseca, ut ubi notat D. Thomas lect. ii. Dicitur enim forma intrinseca species rei; extrinseca autem ad ejus similitudinem aliquid fit, dicitur exemplar. In secundo autem de anima, text. ii, definit Philosophus formam, per hoc, quod sit actus, dicens: « Quod materia quidem est potentia, species autem endelechia, id est, forma. » Et actum dividit ibi in primum et secundum. Primum actus, sicut qui habet habitum scientiæ. Secundus, sicut ipse usus et actus talis habitus. Distinguit autem D. Thomas ibi, lect. ii, formam substantialem ab accidentali penes effectus, quia forma substantialis est quæ facit esse in actu simpliciter

ter, forma autem accidentalis, quæ advenit subjecto existenti in actu. Potest etiam brevius definiri forma substantialis, quod est *actus primus materiæ primæ*, vel quod est *actus primus, ex quo fit unum per se, et non secundum accidens*. In hoc enim quod dicitur actus primus materiæ, excluditur omnis actus accidentalis, quia nullum accidens potest esse primus actus materiæ, nec constituere unum per se. Al vero actus secundus dicitur actus ultimus, ad quem forma ordinatur; et est duplex, alter in essendo, alter in operando: forma enim per actualitatem suam est principium essendi, et operandi, et in essendo correspondet ei existentia, tanquam actus-ultimus; et dicitur ultimus, tum quia omnis actio, et motus in eam sistit et terminatur, acquisito enim esse cessat motus, tum quia existentia non est actus constituens rem, sed constitutam supponens, eamque extra causas ponens. In operando autem dicitur actus secundus ipsa operatio, eo quod reducit in actum ipsam virtutem, quæ est actus primus tanquam executio ejus.

Ut autem videamus, quomodo forma substantialis (de qua solum agimus in præsentia, quia sola est principium entis naturalis) continetur in materia, et ex illa educatur per generationem, oportet supponere ex Philosopho, quod detur talis forma distincta a materia, quod contra antiquos Philosophos deduxit Aristoteles, ex ipsa generatione substantiali, quæ distinguitur ab alteratione, ut probatur in primo de generatione. Videmus enim res aliquas substantialiter incipere, et alias substantialiter desinere, quando enim comburitur lignum tota species, et natura ligni solvitur, et substantialiter natura ignis generatur. Hæc autem transmutatio non potest esse totalis conversio unius entitatis in

aliam, sic enim agens naturale non solum mutaret formam in aliquo subjecto, sed etiam ipsum subjectum talis formæ mutaret in aliud, vel potius unicam entitatem totaliter corrumpere, et aliam totaliter produceret: hanc ergo totalem entitatem, vel produceret ex aliquo subjecto, vel non; ex nullo subjecto non potest producere, quia ex nihilo nihil fit, nisi per creationem, quod non pertinet ad agentia creata; si autem ex aliquo subjecto producit, illud debet esse commune genito, et corrupto, quia si non est commune, nihil de corrupto manebit in genito, et sic ex nullo subjecto fiet, quia subjectum totaliter desinit. Nec dici potest, quod res ipsa, quæ desinit, sit subjectum, quatenus præcedit, et transmutatur in genitum, res enim quæ corrumpitur, et desinit, solum est terminus a quo: est enim id, quod relinquitur et amittitur: subjectum autem est id, quod recipit, non quod amittitur: ergo ut salvemus, quod aliquid fiat de novo substantialiter, et non fiat ex nihilo, seu ex solo termino a quo, sed ex aliquo, oportet distinguere formam substantialem, qua aliquid transmutatur de non esse ad esse substantiale a materia, seu subjecto, quod transmutatur per illam.

Quod si recurratur ad opinionem antiquorum, qui dicebant formas latitare in materia existendo ibi in actu, sed tamen per generationem apparere, non produci; vel secundo, quod forma non est aliquid distinctum a materia, sed extensio quædam, et explicatio major ipsius: contra primum instatur quia re vera tollit veram generationem substantialem, quia tunc generatio non constitueret ipsum esse, neque producendo formam, neque conjungendo materiæ, ut compositum fiat si sic formæ latitant in materia. Nam vel latitant ut unitæ materiæ, vel

independenter a materia. Hoc secundum dici non potest, sic enim illæ formæ potius essent separate a materia cum existerent actu sine unione et dependentia a materia: si autem sunt unitæ materiæ, ergo jam est constitutum compositum, et sic generatio neque producit formam in esse, neque constituit compositum, et sic nihil substantiale facit, quod est tollere generationem substantialem, et ponere infinitas formas in actu in ipsa materia, omnes scilicet quarum est capax. Contra secundum vero instatur, quia illa extensio, vel est per additionem novæ entitatis actualis, quæ antea non erat in materia, nisi in potentia, vel est solum explicatio potentialis, vel est apparentia ejus, quod antea latitabat, ita quod de novo non fit aliqua forma, sed quæ latebat, apparet et explicatur. Hoc tertium incidit in sententiam impugnatam, secundum vero nihil dicit, quia non ponit illa extensio aliquid in actu, quod antea non esset, sed relinquit totum in potentia: dicitur enim illa extensio materiæ non actualis, sed potentialis, atque adeo non magis extendit ipsam potentiam materiæ, quam ipsa se extendat potentialiter. Primum vero ponit formam distinctam a materia, et sic sive vocet explicationem, sive extensionem, idem est quod forma ipsa actualis, quæ educitur e materia, cum illa explicatio, seu extensio materiæ fiat per distinctam entitatem actualem. Quare generatio substantialis stare non potest sine eo, quod forma substantialis distinguatur a materia.

Ex his explicare possumus, quid sit formam contineri in materia, et quid ex illa educi. Ad primum enim dicimus ex D. Thomæ 1 part. quæst. xc, art. ii ad 2 et quæst. xlv, art. viii et quæst. de spiritualibus creaturis, art. ii ad 8 et ii contra Gentiles, cap. lxxxvi, quod contineri in

potentia materiæ, sicut et in potentia causæ efficientis, non dicit aliquid actuale ex parte rei contentæ, sicut aqua continetur in vase, aut panis in arca: quod enim continetur in aliquo, tanquam existens actu in illo, non potest in illo, vel ab illo produci, sed supponitur existens, ut unitum illi, in quo continetur, et sic neque ipsum producit, neque compositum, quod ex tali unione resultat: solum ergo potest contineri objective, non subjective in tali potentia, a qua potest educi, si sit materia, vel produci, si sit efficiens, et quando ponitur in rerum natura, ponitur ut dependens ab illo in cujus potentia continetur. Vel secundo specialiter continetur forma in materia ratione inclinationis, et proportionis materiæ ad formam; nam ut materia, seu causa aliqua continere dicatur aliquem effectum, ille debet esse intra spheram talis causæ, et intra extensionem talis virtutis. Virtus autem alicujus solum extenditur ad illud, ad quod habet naturalem proportionem, quod enim est alicui improporionatum, extra spheram illius est, nec in ejus potentia et virtute continetur.

Ad secundum, scilicet ad eductionem formæ a materia, tres conditiones requiruntur. Prima, quod forma pendeat in suo esse, et fieri a subjecto, a quo educitur. Secunda, quod talis potentia, seu subjectum sit connaturale, et proportionatum tali formæ, et forma illi, alioquin non continebitur in ejus potentia, et sic in ea non continetur, nec ab illa educitur. Tertia, quod forma non veniat ab extrinseco, sed nascatur ex ipsa materia, id est, per ejus transmutationem fiat, qua reducit materia de potentia in actum. De his conditionibus plenius ageatur sequenti articulo. Et interim sufficit videre D. Thomam citato loco de spiritualibus creaturis, art. ii ad

8, ubi inquit : « Quod fieri formam non subsistentium est secundum quod materia, vel subjectum reducitur de potentia in actum, et hoc est formam educi de potentia materiæ absque additione alicujus extrinseci. » Ubi sensus est, quodeductio non fit per hoc, quod aliqua forma ab extra superaddatur materiæ, sed per ejus transmutationem innascatur in ipsa materia, et 1 part. quæstione xc, articulo secundo ad 2, dicit : « Quod actum extrahi de potentia materiæ, nihil aliud est quam aliquid fieri actu, quod prius erat in potentia. » Et siceductio est productio quædam transmutativa, quæ dicit ordinem ad duplicem causam, scilicet ad efficientem, a qua est, et ad materialem, ex qua est, et qua innascitur, et habet esse, et sic supponit proportionem in ipso subjecto, a quo dependet et causatur. Productio vero creativa solum dicit ordinem ad causam efficientem non ad materialem.

Sed inquires : Aneductio sicut formaliter est productiva ex aliquo, ita sit formaliter unitiva, et sicut postulat formam recipi in materia, hoc est dependere, ita et uniri? Respondetur, aliquos tenere, quod in forma aliud est educi, aliud uniri; educitur enim, quia recipitur in materia utique eadem actione qua fit, quia producitur dependenter a materia, non tamen eadem actione unitur ut patet in anima rationali, cujus productio distinguitur ab actione unitiva; si enim propterea forma educitur, quia unitur materiæ, anima rationalis educeretur quia unitur. Cæterum hæc responsio movetur ex levissimo fundamento : stat enim bene, quod omniseductio sit unio, quia sine illa non potest intelligieductio, non tamen quod e contra omnis unio siteductio, quia latius patet unire, quam educere, sicut unitur anima rationa-

lis, et non educitur, et Verbum unitur humanitati, et non educitur. At vero omniseductio necessario unio est, quiaeductio est productio rei dependentis a materia, et ipsum educi formam, est fieri dependentem, non dependet autem duplici dependentia, altera per unionem, altera per receptionem, quia non est duplex causalitas in materia respectu formæ : ergo unica dependentia sufficit, sed per unionem quam habet, forma materialis dependet a materia : unitur enim forma materialis ut dependens, quia unitur materiæ, ut indigens illa ad essendum, et anima rationalis, ut indigens illa ad componendum totum, et informandum materiam : ergo per talem unionem dependentiæ conjungitur utraque forma, licet non æque dependeat, et sic neque æque respiciatur. Et prætereaeductio formæ non est actio faciens solum formam, sed ipsum totum, qui est terminus adæquatus, et ut quod talis actionis, calefactio enim esteductio caloris, et generatio equieductio formæ equi, et tamen calefactio non facit calorem, sed calidum, et generatio equi facit equum, ut quod, sed non fit calidum, vel equus, nisi uniendo partes, ex quibus constat illud totum, ergo non stat, quod detureductio formæ, et quod ipsaeductio non sit unio, sicut esteductio totius; plura de his dicemus infra q. vi et q. x.

#### Solvuntur argumenta.

Primo arguitur : Quia si formam educi est extrahi e potentia materiæ, non autem præexistere in actu, simpliciter ex nihilo fiet, et quando corrumpitur, annihilabitur. Patet consequentia, quia præesse in potentia materiæ, non est præesse in actu, quod autem non est in

actu simpliciter, est nihil : ergo idem est fieri ex potentia materiæ, quod fieri ex nihilo. Confirmatur, quia si Deus modo annihilaret formam per suspensionem concursus, non annihilata materia, tam nihil manet illa forma quam modo quando corrumpitur, quia in utroque casu nihil realitatis in actu manet in forma, sed omnino desinit esse, et in utroque casu manet in potentia materiæ, quia tam forma corrupta, quam annihilata non potest ab agente naturali educi iterum, potest tamen ab agente supernaturali. Et confirmatur secundo, quia forma non aliter continetur in materia, quam in agente, quia in utroque continetur objective, ut nihil in se, sed ex eo, quod aliquid contineatur objective in efficiente, non tollitur quod fiat ex nihilo : ergo etiam ex eo quod contineatur objective in materia, non tollitur quod fiat ex nihilo, quia utrobique, id est, in efficiente et materia forma nihil est.

Respondetur, illo argumento fuisse convictos antiquos Philosophos ad ponendum, quod formæ latebant actu in materia, et non fiebant, quia ex nihilo nihil fit, et forma in potentia materiæ nihil est, et ex eadem radice processit opinio : Avicennæ et aliorum, quod formæ fiunt ex nihilo, sed non ab agente naturali, quod tantum disponit materiam, sed ab agente extrinseco, sicut anima rationalis, ut S. Thomas refert 1 p. q. xlv, art. viii et q. iii de potentia, art. viii. Sed tamen respondet D. Thomas quod formæ in materia non sunt purum nihil, sed sunt in potentia, ens autem in potentia non est purum nihil, et consequenter formæ in potentia materiæ, licet in se nihil sint, dicuntur tamen manere in potentia, et non pure annihilari, quia manent in aliquo sui, id est, in materia capaci

sui. Et quando instatur : Ergo formæ fiunt ex nihilo quia nihil sunt in materia, distinguo ; ex nihilo sui, concedo ; ex nihilo materiæ, nego : quando autem dicitur res fieri ex nihilo, ly *ex nihilo*, designat carentiam materiæ, ut dicit S. Thomas in de potent. art. viii ad 4, quod vero terminus, qui fit, in se sit nihil, omnino necessarium est, alias de novo non fieret. Et eodem modo, quando corrumpitur, redit in nihil ex parte termini a quo, sed manet in aliquo sui, id est, in materia, in qua est in potentia, et similiter ex parte termini, ad quem non terminatur in nihil, sed in aliquid, id est, in formam productam, in quam fit mutatio : requiritur autem ad annihilationem, ut terminetur in nihil, ratione cujus nec ipsa desitio panis in Eucharistia est annihilatio, quia ejus terminus ad quem non est nihil, sed corpus Christi, ut advertit S. Thomas quodlib. v, art. xi.

Ad primam confirmationem respondetur, quod annihilatio proprie opponitur creationi, et sicut creatio proprie solum est rerum subsistentium, ut S. Thomas docet 1 p. q. xlv, art. iv, ita et annihilatio proprie solum est subsistentium, sed tamen sicut aliquando res non subsistentis fiunt creatione, non ut creatæ, sed ut concreatæ, et tunc idem fit per creationem quam per educationem, licet ex parte modi diverso modo fiat, ita contingit, quod forma, vel aliqua res non subsistens annihilatione desinat, si suspendatur concursus, qui præcise tangebatur rem non subsistentem, et tamen non erit annihilatio simpliciter, sed secundum quid, quia licet dicatur annihilatio ex parte modi, quia fit per suspensionem concursus, non tamen est annihilatio ex parte entis corrupti, quia non decedit in purum nihil, sed manet in potentia materiæ, si forma cujus

concursus suspenditur, sit materialis.

Ad secundam confirmationem respondetur, formam contineri in causa efficienti, et materiali objective; sed in agente, tanquam in aliquo activo, in materia, tanquam in aliquo passivo, et si solum continentur in agente, et non in materia, dicuntur pure objective, et tanquam purum nihil contineri, quia continentur ut nihil in se, et ex nihilo producendæ: si tamen contineantur etiam in materia, non dicuntur contineri in purum nihil, quia licet in se nihil sint, non tamen sunt ex nihilo producendæ, sed ex aliquo subjecto, et ratione hujus dicuntur contineri in potentia, scilicet subjecti.

Secundo arguitur: Nam materia est magis substantia, quam forma, utpote, quæ simpliciter substatur, et sustentat formam; forma autem materialis non habet sustentare se nec aliam, ergo non est substantialis, nec aliquo modo differt ab accidentali. Confirmatur, quia forma substantialis est dependens in suo esse a materia sustentante, ergo talis dependentia non differt a dependentia accidentis per inhærentiam, hæc enim non est aliud, quam dependentia formæ in suo esse a subjecto sustentante illam in tali esse, forma autem quam dicimus substantialem, etiam dependet a materia existente, et sustentante illam in esse; ergo in nullo differt ista dependentia ab inhærentia formæ.

Respondetur, materiam non esse magis substantiam, quam formam ex parte actualitatis, et perfectionis in esse, sed ex parte receptionis, et potentialitatis, ratione cujus reddit formam et substantiam incommunicabilem; hoc autem non est magis substare simpliciter, et in actu, sicut substatur compositum seu individuum substantiæ, sed esse magis

principium substandi ex parte potentialitatis, et incommunicabilitatis. Qui autem et dicunt materiam sine forma esse ens in actu substans et subsistens, difficile possunt salvare, quod forma sit magis substantia quam materia. Ad confirmationem respondetur dependentiam formæ substantialis a materia non esse inhærentiam, quia non supponit esse simpliciter in subjecto recipiente, et sustentante, sed forma substantialis conjungitur materiæ ad constituendum esse simpliciter. Quare inhærentia est dependentia formæ a subjecto sustentante simpliciter in esse, forma autem substantialis recipitur in materia, non tamen inhæret, quia unitur illi ad constituendum esse simpliciter seu substantiale, non ut sustentetur in esse secundum quid, quod est inhærentia.

#### ARTICULUS II.

*Quæ formæ educantur de potentia materiæ?*

Formæ educibiles e materia aliæ sunt substantiales, aliæ accidentales: illæ respiciunt materiam primam, istæ subjectum completum et constitutum in actu. Formæ accidentales sunt in triplici ordine, scilicet naturales, artificiales, et supernaturales. Formæ substantiales sunt etiam in triplici ordine, scilicet forma subsistens, ut anima rationalis, forma rerum incorruptibilem, ut celestis, et forma corruptibilis.

De his omnibus inquirimus, quomodo educantur de potentia materiæ, id est, quomodo servantur in illis tres illæ conditiones supra positæ, quæ requiruntur ad educationem.

#### *De forma rationali.*

Tam certum est, animam rationalem non educi de potentia materiæ, sicut est certum, animam non esse corruptibilem, sed sine corpore posse subsistere, quod utique est, de fide, et constat ratione naturali, quia aliqua ejus operatio est spiritualis, et independens a corpore, scilicet intelligere, attingit enim res spirituales aliquo modo, et res corporales spirituali modo, id est, abstrahendo a singularibus, et cognoscendo modo universali, et consequenter ejus esse necessario est spirituale, et independens a corpore, nam operatio sequitur esse. Ex quo fit deesse illi conditionem requisitam ad educationem, scilicet dependentiam in esse a materia, ut intra illam dicatur contineri, et per illius transmutationem educi.

Sed objicies: Anima rationalis in quantum vegetativa et sensitiva habet operationes dependentes a materia, ut nutritio, generatio, etc. ergo in quantum vegetativa, et sensitiva non potest creari, sed a materia educi, quia ab illa dependet in operari, et consequenter in esse. Confirmatur, quia creari est simpliciter fieri ex nihilo, anima autem rationalis fit ex aliquo præposito, quia non creatur in esse, sed infunditur materiæ dispositæ, et ex vi dispositionum ejus, quod sufficit, ut non dicatur creari; sicut e contra, ut aliquid non dicatur annihilari, sufficit quod transeat in aliud, licet totaliter desinat in se, sicut contingit in pane, qui convertitur in corpus Christi.

Respondetur, quod operationes animæ vegetativæ et sensitivæ dependunt a corpore, non tamen eorum principium, eo quod non est principium illarum operationum tantum, sed etiam alterius, id est, intellectualis, quæ non dependet a corpore; ut autem sufficienter probetur, quod forma non dependet in esse a materia, sufficit probare, quod aliqua ejus operatio non dependeat a corpore, sic enim esse ejus absolute non potest dependere; ut probetur, quod aliqua forma dependet a materia, oportet ostendere, quod omnis ejus operatio dependeat a materia.

Ad confirmationem respondetur, formam rationalem creari in corpore, et præsupponere corpus, non tanquam id a quo dependet in esse, sed cui tribuit esse: ut autem non crearetur, requirebatur, quod fieret dependentem in suo esse a corpore, cui infunditur, quantumcunque alias præsupponatur aliquid, non ut ex quo fiat, sed cui esse tribuat. Quod vero dicitur, panem non annihilare, quando convertitur in corpus Christi, non est ad rem, quia ibi licet totaliter desinat panis, non tamen desinit in nihil, sed in aliquid, in quod transit, at vero anima rationalis fit simpliciter ex nihilo, non ex aliquo; et sic nec ex parte termini a quo, nec ex parte subjecti, supponit aliquid a quo dependeat, quidquid sit, an supponat aliquid, cui communicet suum esse; conversio autem panis dicit aliquid ex parte termini ad quem, in quod terminatur, et sic ejus terminus non est nihil.

Secundo objicies: Nam anima rationalis in materia non subsistit ut quod sed ut quo, quia non est in corpore ut suppositum, sed ut forma informans, et constituens, ergo anima prout in corpore accipit esse dependens a corpore, quod est educi ex illo. Confirmatur, quia cuilibet potentiæ passivæ naturali correspondet aliqua potentia activa naturalis; sed materia habet potentiam passivam naturalem, ut recipiat

animam, ergo datur aliqua potentia activa naturalis, quæ efficiat animam; agens autem naturale, non agit creando, sed educendo e materia, ergo anima est educibilis ex illa. Nec obstat, quod anima sit spiritualis, quia potest dici, quod sit virtute spirituali proveniente ab anima generantis, et impressa semini: nec enim repugnat, quod virtus spiritualis mediante instrumento corporeo causet effectum spirituales, sicut Baptismus gratiam.

Respondetur, quod ut dicitur infra quæstione VII, anima rationalis in corpore habet quidem subsistentiam, qua potest existere sine corpore, et ut *quod*, sed pro illo statu informationis intelligitur subsistere ut *quo*, quatenus subsistit in ipso toto, et non separata ab illo, sed hoc ipsum esse totius compositi, est esse ipsius animæ, ut docet D. Thomas 4-11, qu. v, art. v ad 2, et ideo quia non est separata, sed communicata, non subsistit ut *quod*, sed quia illud esse communicatum est independentens, potestque manere separatim non dicitur educi, id est, dependent fieri et esse a materia.

Ad confirmationem respondetur, quod potentia materiae, quæ passive recipit animam, correspondet naturale activum, non quidem produciens ipsam substantiam animæ, sed uniens materiae, scilicet generans; hoc enim sufficit, ut detur activum naturale correspondens passivo, nec enim materia est in potentia ut producat formam, sed ut uniatur sibi, de quo vide Cajetanum I par. quæst. cxviii, art. II, §. in responsione ad 4. Productio autem animæ, quia est spiritualis substantia, a solo Deo fit per creationem, et ideo, ut dicimus infra quæstione xxvi, nulla virtus instrumentalis ei cooperari potest, idque docet S. Thomas I p. q. XLV, art. v, secus est de gratia quæ est accidens, et ideo actione educi-

va ab instrumento attingi potest, de quo infra.

*De formis celestibus, et elementaribus in prima productione.*

Supponimus in præsentia non solum cælum empyreum, sed etiam omnes alios cælos per creationem esse factos a Deo, quia ab intrinseco sunt ingenerabiles, et incorruptibiles, ut docet D. Thomas I p. quæst. LXVI, art. II, et in lib. de cælo latius ostendetur, et dato quod cæli essent generabiles ex aqua, vel ex alio corpore, tamen in prima sui creatione, non minus creati sunt quam terra, et alia elementa, quæ non sunt facta ex aliis corporibus, sed immediate a Deo creata, juxta illud Genesis: *In principio creavit Deus cælum et terram.* Proceedit ergo proposita difficultas supposito, quod ista corpora creata sunt, vel de ipso cælo empyreo, si solum creatum est, an formæ fuerint in tali creationeeductæ de potentia materiae, an non? Quæ difficultas dependet ex ipsa ratione educationis. Quidam enim intelligunt ad educationem formæ sufficere, quod fiat dependenter a materia, et sic cum formæ illorum corporum in illa prima creatione factæ sint dependentes a materia, consequenter e materiaeductæ sunt. Alii vero dicunt ulterius requiri ad rationem educationis transmutationem materiae, ad hoc ut dicatur formam educi ex illa, et quia in prima creatione materia non est transmutata, sed totum compositum simul productum, partes vero ad productionem totius comproducentur, ideo in creatione istorum corporum, forma et materia sunt concreatæ, non vero formaeducta de potentia materiae.

Hæc ultima sententia sine dubio est D. Thomæ; dicit enim I par. q. LXV, art. IV: « Quod in prima corpo-

ralis creaturæ productione non consideratur aliqua transmutatio de potentia in actu, et ideo formæ corporales, quas in prima productione corpora habuerunt, sunt immediate a Deo productæ. » Ergo sentit D. Thomas formas in prima creatione rerum non educi de potentia materiae, quia non oriuntur per ejus transmutationem; unde ibidem ex eo negat formas non causari per influxum alicujus substantiæ immaterialis, quia causantur reducta materia de potentia ad actum ab aliquo agente composito, ergo educio formæ de potentia materiae sine ejus transmutatione non fit. Et ratio est, quia si formæ fierent a Deo, vel ab intelligentiis per influxum, sicut quidam antiqui dicebant, aut si modo Deus produceret formam, vel accidens separatim, et postea illud subjecto uniret, talis forma non diceretur educi de materia, quia non dependeret ab ipsa in fieri, sed aliunde facta illi adveniret, et sic non extraheretur ex ipsis visceribus materiae, et ejus potentia; requiritur ergo ad educationem formæ, quod per materiae transmutationem fiat, ita quod dependeat a materia in ipso fieri. Corpora autem illa cælestia, et elementaliter facta sine transmutatione materiae, sed immediate per creationem; ergo formæ eorum non fuerunteductæ, sed concreatæ ad creationem totius.

Et advertit, non repugnare Divinae potentia, producere aliquod corpus tali modo, quod solum creetur materia, et in eodem instanti creationis educatur forma ex illa, sicut modo fit, quando ex speciebus Eucharistiæ generatur alia substantia; tunc enim subrogatur materia in ultimo instanti generationis, ex qua educitur forma genita in vi dispositionum, quæ in quantitate præcesserunt; et eodem modo posset Deus in quancunque alia generatione in

ipso instanti generationis creare materiam, et educere ex illa formam. Sed tunc creatio illa ut tangit materiam, non est absolute completa, sed completur per educationem formæ, quia attingitur a Deo per illam creationem, non ut absolute sit, sed ut sub formaeducta sit. Cæterum dicimus, quod si creatio est absoluta, et completa, tunc attingit totum compositum, et non solum materiam, et consequenter etiam attingit formam, non vero illam educit, alias ipsa creatio non produceret ipsum totum, quod constat ex materia et forma, si materiam solum attingit creatio, formam vero educit. Fuit autem conveniens, quod in prima rerum creatione sola materia non produceretur per creationem, sed ipsum totum, ut inciperet prima rerum productio a creatione perfecta et absoluta; si autem interveniret ibi educio formæ, illa vel fuisset ab aliquo agente creato educente formam, et tale agens non dabitur tunc, vel illa educio fuisset a Deo exercente officium educantis formam, et creantis materiam, et sic sine fundamento multiplicamus istas actiones, cum sufficiat una creatura totius compositi. Unde Scriptura absolute dicit, quod *Deus in principio creavit cælum et terram;* quod non verificatur, si solum materiam creavit, forma vero esteducta, alioquin posset dici, quod alimentum generatum ex Eucharistia, creatur a Deo, quia materia ejus creatur.

Sed objicies: Nam formæ illorum corporum in prima productione factæ sunt, ut dependentes a materia, cum in se non sint subsistentes, ergo in ipso fieri pendent a materia in esse, ergo educuntur. Confirmatur, quia formæ illæ non creantur ad creationem totius, siquidem non sunt ex nihilo etiam partialiter et concreative, sed ex materia, utpote

non minus dependentes ab ipsa in illa prima productione, quam modo quando generatur aliquod corpus elementale, nec etiam fuerunt creatæ ut formæ subsistentes, sicut anima rationalis, ut de se patet; ergo fuerunt eductæ, et præcessit privatio earum in materia prioritate naturæ, sicut materia præcedit receptionem talis formæ.

Respondetur, educationem formæ non consistere solum in hoc, quod forma fiat dependens a materia, sed quod tali modo fiat dependens, scilicet per transmutationem ipsius materiæ, et quasi emergendo ab illa, alioquin non posset Deus creare unum integrum compositum habens formam materialem, quia illa semper fit dependens a materia, nec posset per transubstantiationem convertere totum panem in lapidem, quia forma lapidis fieret per educationem; eductio autem opponitur transubstantiationi, quæ totam materiam, et formam convertit in aliud; eductio autem supponit materiam, ex qua formam educat, non quæ materiam convertat. Non ergo ad educationem formæ sufficit, quod ipsa fiat dependens a materia, quia hoc multis aliis actionibus fieri potest, scilicet omni actione, qua unitur materiæ ut habens esse in illa, sicut si accidens separatum iterum uniatur subjecto, hæc unio non est eductio; et tamen facit dependere accidens a materia.

Ad confirmationem respondetur, quod quando creatur totum, materia, et forma, et quæcunque partes solum concreantur, et sic ex nihilo dicuntur esse concreative, et tamen bene stat, quod fiat forma dependens a materia ex parte termini producti, quia videlicet forma producta est terminus productus cum dependentia, non tamen fit per transmutationem materiæ, nec per actionem dependentem a materia ut a sub-

jecto, sed ex nihilo producente totum, et in eo formam dependentem a materia.

*De reliquis formis sublunaribus.*

Certum est, omnes præter animam rationalem educi e materia, quoties per generationem producuntur, nec de hoc est ulla difficultas, supposito contra Philosophos antiquos, quod datur generatio substantialis, ita quod formæ non sint actu latentes in materia, nec ab aliquo exteriori agente per influentiam, aut creationem adveniant: in cuius signum affert D. Thomas I p. q. LXV, art. IV, quod oportet generans producere formam aut unire, quia naturale est unumquodque facere sibi simile, assimilatur autem effectus suo generanti in forma; ergo illam debet attingere generans.

Solum potest esse difficultas ex resolutione præcedenti, in qua diximus, quod elementa in prima sui productione totaliter fuerunt creata quantum ad materiam, et formam, quæ actio creativa cessavit, corrupto ipso corpore, quod tunc fuit creatum; ergo si modo per educationem formæ producuntur, non appareret, qua actione conservetur materia, quia creativa cessavit, quæ terminata est ad totum, hoc ipso quod totum corruptum est: eductiva autem non potest conservare materiam, cum conservatio sit continuatio primæ productionis, prima autem productio materiæ non fuit eductio, ergo nec per educationem conservatur.

Respondetur, materiam primam conservari modo ex vi primæ productionis, quæ tamen prima productio sicut non produxit materiam in esse, nisi dependentem a forma, ut quæstione præcedenti dictum est, ita nec modo conservatur materia

sine aliqua forma, et consequenter nec sine educatione talis formæ, quæ eductio supplet id quod partialiter attingebat formam in ipsa creatione, et sic materia concreata est a principio tanquam entitas potentialis, capax non solum ejus formæ, sub qua primo creata est, sed etiam omnium aliarum formarum, et consequenter ex vi prioris productionis, sub quibuscumque formis conservatur, sine hoc quod addatur nova creatio formæ, cum in eo, in quo dependet materia a forma, æque bene conservetur sub forma creata, quam sub educta: et quando dicitur, quod cessavit actio prima creativa totius, ipso toto corrupto, respondetur quod illa actio cessavit, quantum ad aliquid ipsius effectus, non tamen quoad omnem partem inclusam in ipso toto, sed mansit ut attingens materiam, non sub aliquo esse ipsi materiæ proprio, sed subiiciendo illam ipsi esse formæ, vel formarum succedentium per educationem. Nec est inconveniens, quod una actio si attingit plures effectus, possit manere quantum ad unum destructo alio, quia est virtualiter multiplex, sicut actio solis producit lucem et calorem, potest manere quoad lucem, et non quoad calorem; et actio, qua Deus creavit Angelum, et ejus subsistentiam, si modo assumeretur a Verbo illa natura, relicta subsistentia, maneret creatio ut tangens naturam, et non tangens subsistentiam; quoad hanc enim suppletur per assumptionem, sic similiter actio creativa, qua producta est materia sub forma aquæ, corrupta aqua, manet ut tangens formam aquæ, sed quoad hoc suppletur per educationem novæ formæ, cui materia subicitur, et sub ea ab illa creatione continuata conservatur.

*De formis accidentalibus.*

Potest ex duplici capite oriri difficultas. Primo, circa accidentia, quæ excedunt naturalem ordinem subjecti. Secundo, circa ea quæ non fiunt per propriam transmutationem, sed per quamdam resultantiam ex subjecto. In prima linea numerantur accidentia supernaturalia et intentionalia. In secunda, propriæ passionis ab essentia, relationes a suo fundamento, actio ab agente, et alii similes modi resultantis. De reliquis vero accidentalibus, quæ subjectum transmutant, et naturalis sunt ordinis, nulla est difficultas, quod educantur de subjecto, sicut ab ipso dependent in fieri, et in esse.

Dico ERGO PRIMO: Accidentia supernaturalia simpliciter fiunt per actionem eductivam, ut opponitur creativa, et dicuntur educi de potentia obediuntiali subjecti, non de naturali. Artificialia autem et intentionalia simpliciter educuntur de potentia naturali subjecti. De hæc conclusione videndus est D. Thomas quæstione III de Potentia, art. VIII ad 3, ubi loquitur de gratia, et ad 5, ubi de formis artificialibus, de quibus addit: « Non excedit ordinem naturæ sicut gratia, imo infra subsistere, quia omne naturale est nobilius artificiali. » Et luculentius hoc ipsum tractat in quæstione de Virtutibus in communi, art. X ad 13, ubi docet: « Quod quia potentia passiva correspondet activæ secundum differentiam et ordinem potentiarum activarum, est etiam ordo et differentia passivarum, et sic aqua vel terra secundum aliquam potentiam nata est moveri ab igne, et secundum aliam a corpore celestis, potest enim aliquid fieri virtute corporis celestis, quod non virtute ignis, et aliquid ulterius, secundum

virtutem Dei, quod non potest fieri secundum virtutem cœli, et secundum hoc dicimus, quod in tota creatura est quædam potentia obedientialis, prout tota creatura obedit Deo ad suscipiendum in se quidquid voluerit. » Ita D. Thomas. Cum ergo aliquid dicitur fieri ex nihilo, negatur causa materialis, ut D. Thomas inquit, questione citata de Potentia, art. VIII ad 4. Sic ergo componimus diversas aliorum sententias; qui enim dixerunt formas supernaturales non educi de potentia subjecti, loquebantur de potentia naturali, qua penitus caret subjectum respectu talium formarum, et sic dicuntur fieri de nihilo potentie naturales; et quodammodo creari, tum quia sunt sola virtute Divina, quæ creativa est, tum etiam, quia quodammodo de nihilo fiunt, id est, de non potentia naturali. Sed tamen absolute educuntur de subjecto, et non fiunt ex nihilo, quia educuntur de potentia subjecti, non quidem naturali, sed obedientiali, quatenus illud subjectum subest Divinæ virtuti agenti.

Quod si inquiras, quæ sit ista potentia obedientialis, et quomodo in illa formæ contineantur, respondeatur, de hoc apud Theologos longa concertatione disputari, præsertim III p. quæst. XIII, et q. LXII. Breviter dicimus ex D. Thoma in dicta questione de Virtutibus potentiam obedientialem esse ipsam entitatem subjecti, ut respicit aliquid agens superius quam naturale, cui subicitur et obedit. Itaque potentia passiva dicitur relate ad activam, et secundum diversum respectum eademmet entitas potentie passivæ dicitur naturalis, vel obedientialis, scilicet in quantum est nata moveri a virtute naturali, dicitur naturalis: ut autem nata est moveri a supernaturali agente, dicitur obedientialis. Quod vero aliqui dicunt po-

tentiam obedientialem esse supernaturalem inchoative, si intelligatur quod intrinsece et positive sit supernaturalis falsum est, sic enim naturaliter et ab intrinseco entitas aliqua esset ordinis supernaturalis: si vero intelligatur negative, vel denominative ab agente supernaturali extrinseco, verum est; sed hoc est idem quod obedientiale per non repugnantiam respectu superioris virtutis: licet enim ut aliquid sit natum moveri ab agente naturali debeat habere intrinsecam et positivam proportionem cum illo, utpote ejusdem ordinis; tamen ut moveri possit ab agente supernaturali, non debet habere positivam proportionem cum illo, sed potius ab eo cadere, et deficere, utpote alterius ordinis, et sic non potest illi coordinari positive, sed solum negative, seu non repugnanter, et hoc est potentiam obedientialiter se habere.

Ex quo colliges, repugnare quod detur potentia obedientialis activa formaliter etiam inchoata, quia potentia non dicitur activa relate ad agens superius, cui subicitur (hoc enim passivum est) sed relate ad operationem, quam elicere potest: ergo si ista operatio est omnino improporcionata et excedens respectu potentie non est activa ex se, sed influxiva ad operationem; si autem est proporcionata, jam non est potentia obedientialis respectu talis operationis, sed connaturalis. Itaque repugnat, quod in quantum activa sit obedientialis, obedit enim dicitur aliquid in quantum subicitur, et movetur, non in quantum agit et movet. Sed de hoc amplius dicemus questione xxxi.

De formis artificialibus constat, quod educuntur de potentia subjecti, quia in re sunt formæ naturalis ordinis, licet modus, quo fiunt, non sit a natura, sed a directione artis,

sicut verbi gratia, quando fit artificialiter aliquid figuratum, vel aliquis motus artificialis, aut quid simile, hoc enim totum formam naturalis ordinis importat, licet modo artificiali factam.

Dico secundo: Omnes formæ, sive modi, qui actione aliqua transmutativa attinguntur, sive primario, sive secundo, dicuntur educi de potentia subjecti. Ratio est manifesta, quia tales formæ dependent in fieri, et in esse a subjecto cui inhaerent, vel quod modificant, et attinguntur saltem mediate ab actione transmutante subjectum; ergo vere, et proprie educuntur, siquidem omnes conditiones educationis in illis concurrunt. Et hinc discernitur, quænam emanationes dicantur etiam educationes, nam propriæ passiones fiunt eadem actione, qua natura ipsa fit; et sic, si est actio educativa respectu nature, etiam est educativa respectu propriæ passionis, licet ut est dimanatio a subjecto non dicitur educio, quia subjectum non agit in se, ut ex se educat propriam passionem. Tunc ergo solum passio dimanans per educationem producit, quando ipsamet forma seu natura a qua dimanat, per educationem fit, si vero fiat per creationem, passiones, quæ in substantia creata inhaerent, non fiunt educive, sed consequenter ad creativam actionem. Similiter relatio, ut dimanat a fundamento, non dicitur fieri ab ipso fundamento per educationem, quia ad relationem non est per se motus, educitur tamen mediate ab ipso agente, a quo productum est illud fundamentum, quia producendo illud virtualiter producit omnes relationes, quæ ex tali fundamento possunt consurgere, positus terminis, de qua videri potest D. Thomas v Phys. lect. m, et xi Meta-phys. lect. xii. Denique actio non dicitur educi ex subjecto, ut termi-

nus, quia ad actionem non datur actio, sed ipsa formaliter est educio et actio, non terminus ejus.

Sed objicies: Formæ supernaturales nullo modo continentur in subjecto, siquidem in subjecto nulla datur inclinatio et appetitus ad illas, ergo nullo modo ex illis educuntur, unde gratia dicitur infundi in anima, ut determinat Concilium Tridentinum sess. vi, cap. vii, et similiter dicitur creari, ut Psalm. I: *Cor mundum crea in me, Deus*: quod autem creatur, et infunditur, non educitur. Idem argumentum potest fieri de formis intentionalibus, sicut sunt species representativæ, et de motibus violentis, qui ex subjecto non educuntur, cum subjectum illis resistat.

Secundo objicies: Quia propriæ passiones resultant in eodem instanti, in quo fit essentia, ergo nulla datur privatio in tali essentia, ex qua fiat illa propria passio; et consequenter, nec educitur, quia educio debet esse ex aliqua privatione; tunc autem in re non datur privatio in subjecto, quia semper datur forma opposita privationi, quæ est propria passio pro omni instanti.

Ad primum respondetur, formas supernaturales non contineri in subjecto positive, id est, secundum ordinem positivum subjecti ad ipsas, cum non sint ejusdem ordinis, et consequenter non datur inclinatio seu appetitus ad ipsas, quia appetitus significatur per modum cujusdam ponderis, quod non est sine positivo ordine, sed solum continentur istæ formæ in subjecto obedientialiter, sive non repugnanter. Dicitur autem gratia infundi, seu creari, non quia simpliciter fiat ex nihilo, sed quia fit extra totam inclinationem naturalem, et sic respectu naturalis ordinis quasi de nihilo illius fit. Formæ autem intentionales et artificiales cum sint naturalis ordi-

nis, simpliciter in subiecto continentur, et in illo educuntur: et idem est de motu et forma violenter inducta; licet enim subiectum resistat, tamen in potentia continet talem formam, vel quia ex parte materiae non est repugnantia ad illam, licet sit ex parte formae; vel quia agens violentum, subicit sibi materiam, et vincit ejus resistantiam, qua victa, educitur forma, quia jam non resistit.

Ad secundum respondetur, quod ut propria passio dicatur educi, non requiritur, quod in ipsa essentia, cujus est propria passio, praecedat privatio, quia non educitur ex illa, sed praecedit privatio in materia, seu subiecto, ex quo fit, et educitur illa forma, seu natura, ad quam sequitur propria passio; haec enim sicut non est producibilis alia actione, qua illa quae est productiva naturae, ita privatio ejus est adjuncta privationi ipsius naturae, seu formae, a qua resultat.

Restabat disputare in praesenti quaestione illam celebrem, an plures formae possint esse simul in eadem materia. Sed de ista quaestione agemus infra tractando, an plures causae totales possint causare eundem effectum.

## QUAESTIO V.

### DE PRIVATIONE.

#### ARTICULUS PRIMUS.

*Quid sit privatio, ut est principium entis naturalis?*

Supponendum est, privationem in communi loquendo importare carentiam alicujus formae in subiecto apto, seu capacitatis formae, per

quod distinguitur a simplici negatione, quae dicit carentiam formae absolute sine capacitate subiecti ad ipsam, sicut lapis habet negationem visus, non privationem, animal autem caecum, dicitur habere privationem visus. Et privatio rigorose loquendo, dicitur, quando subiectum est capax formae privatae secundum speciem infimam: dicitur vero lato modo, quando est capax illius solum ratione generis, et non ratione speciei, sicut talpa dicitur caeca, licet sua species non sit capax visus, sed solum genus illius, quod est animal, de quo videri potest D. Thomas I part. quaest. xxxiii, art. iv ad 2, et v Metaph. lect. xx.

Consulto autem non dixi, privationem esse carentiam in subiecto, cui debetur forma, sed quod est capax formae, ne implicarem multis difficultatibus, quae de hoc debito versantur, an videlicet requiratur debitum proximum, vel remotum, physicum vel morale juxta connexionem naturae vel moralis ordinationis. Modo autem solum loquimur de privatione physica, ad quam sufficit debitum capacitatis, seu aptitudinis subiecti ad aliquam formam, non debitum connexionis necessariae, vel dimanationis. Nec requiritur ad privationem quod aliqua forma sit debita alicui, vel aliquid sit capax illius sub omni consideratione et statu, sed ratione alicujus principii sibi connaturalis, sicut aqua habet privationem caloris, vel formae ignis ex parte materiae, non ratione suae speciei, et actus peccati habet privationem bonae regulationis, non ex parte suae speciei, ut sumitur ab objecto, sed ratione libertatis, et ut procedat a principio libero; sic enim debetur ei recitudo, id est, subiectio ad regulas moris.

His suppositis, restat circa privationem in particulari, ut est princi-

pium entis naturalis, inquirere in hoc articulo aliquas difficultates, quae tangunt ejus quidditatem, et in sequenti ea quae tangunt ejus multipliciter in materia. Primo ergo inquiri potest, quomodo privatio intelligatur esse principium entis naturalis in fieri, et per modum termini a quo, cum talis privatio ante instans generationis non invenitur, nisi remote, et cum impedimento ad formam oppositam habendam propter formam, quam tunc habet, et sic non est immediate capax formae generandae; in instanti autem generationis, in quo est verum dicere, nunc est forma genita, jam est falsum dicere, nunc est privatio, et sic nec ante instans generationis, nec in ipso instanti, vel post, datur rigorosa et determinata privatio.

Confirmatur, quia materia potest esse magis vel minus expedita, vel impedita ad aliquam formam suscipiendam, sicut materia sub forma lapidis magis impedita est a forma equi, quam sub forma sanguinis, quae magis ad formam equi appropinquat. Ex quo sequitur, quod materia ut est sub una forma, non est debita alia, nec appetit illam, quia est impedita. Si autem aliam appeteret, conaretur ad aliam; et recederet ab ea quam habet, et sic quamdiu in illa maneret violentaretur, quia frustraretur suo conatu et appetitu ad aliam; unumquodque enim violenter est, quamdiu est in privatione ejus, quod naturaliter appetit, et impeditur a consecutione ejus. Et deinde sequitur, quod privatio materiae suscipiat magis et minus, secundum quod est magis vel minus elongata, et impedita respectu alicujus formae, hoc autem est contra rationem privationis, quae est in materia; privatur enim in facto esse aliis formis, ut quando homo est mortuus, privatur anima

in facto esse: ut docet D. Thomas I-II, q. lxxiii, art. ii. Denique, si materia habet privationem formarum, quas non habet quia potentialiter et remote se habet ad illas: ergo etiam habebit privationem formarum, quas habuit et perdidit, cum tamen respectu illarum non habeat capacitatem, quia non est potentia in natura ad ponendum illas in materia.

Respondetur, non esse dubium, quod in materia habente unam formam, detur privatio aliarum, quarum est capax, et ad quas habet appetitum, quia est in potentia ad alias formas, dum unam habet in actu; non propter fastidium ejus quam habet, nec propterea quod plura simul habere velit, sed propter illam potentialitatem ad plura; ut dicit D. Thomas I Phys. lect. xv. Igitur ante instans generationis, et ante ultimam dispositionem datur ista privatio formarum in materia, quia illarum est capax, nec a dispositionibus habet istam capacitatem, et privationem, sed per dispositiones applicatur, et determinatur ad recipiendam istam formam potius quam aliam. In instanti autem generationis privatio ipsa formae, quae tunc generatur in materia, intelligitur non quantum ad durationem, et instans reale, in quo potius solvitur a forma opposita, sed quantum ad prioritatem naturae, quatenus praecedit terminus a quo terminum ad quem, non in esse, sed in expelli, sicut ipsa forma corrupta in illomet instanti generationis expellitur, et licet sit prior forma genita in genere causae formalis, corruptio et expulsio formae praecedentis est prior in genere causae materialis, quae non est prioritas in existere, sed in expelli. Eodem modo se habet privatio in illo instanti, quia se tenet ex parte termini a quo.

Ad confirmationem respondetur,